Wurtenburgiæ Ducem etsi fœderi Francofur-tensi insertum nullam tamen eam ob rem apud Gallos gratiam meruisse; tanquam tarde nimis et post offensum Cæsarem et Austriacos, Gallorum Amicitiam pro-fessum.

Induciæ inter Hispanos et Anglos pa-ctæ, solidæ pacis initium et arrha. 27. Sept:

Præter Constantinopolis incendium, et Canisam fulmine haustam, Budæ quoque cælesti igne bis domus conflagrarunt. Eadem peste palatium Vaticanum Ro-mæ afflatum.

Turcæ Cæsareanorum metu et cunctati-one animati Souchio denuncia-runt, ni retrocederet, pellendum et cuncta Ragotio possessa (: Transyl-vaniæ an Hungariæ contribuantur nihil Interesse :) ut sui Iuris vindi-caturos. Illa conditione neque aliter cum Cæsare pacem fore.